


FONTES
CHRISTIANI



CAESARIUS
VON HEISTERBACH

DIALOGUS
MIRACULORUM

DIALOG ÜBER DIE WUNDER
I

ANNE BRUNENSIS

LATEINISCH
DEUTSCH

BREPOLS

CAESARIUS VON HEISTERBACH

DIALOGUS MIRACULORUM
DIALOG ÜBER DIE WUNDER

ERSTER TEILBAND

EINGELEITET
VON
HORST SCHNEIDER

ÜBERSETZT UND KOMMENTIERT
VON
NIKOLAUS NÖSGES UND HORST SCHNEIDER

TURNHOUT
BREPOLS  PUBLISHERS
2009

NOVICIUS: Puto monachum istum multum in tam grandi tentatione meruisse.

MONACHUS: Quod fornax auro, quod lima ferro, quod flagellum grano, quod uvae torcular, hoc ei eadem fuit tentatio. Servavit enim in tribulatione patientiam. Invido autem sua erat invidia, quod venenum stomacho, quod tinea vestimento, quod aerugo flori, quod tabes corpori.

NOVICIUS: Si nosti adhuc aliqua de tentationibus invidiae exempla, precor ut mihi recites illa.

MONACHUS: Quia latens morbus est invidia, nullum ad praesens occurrit exemplum, quod vel memoria sit dignum, sive aedificationi necessarium.

Referam tibi tamen quandam sanctam invidiam, quam te audire delectet.

CAPITULUM 25

15 18

De puella, quae invadebat studio consororis.

Anno praeterito in monasterio quodam ordinis nostri iuxta Frisiam, quod Yesse dicitur, duae parvulae puellae ad literas positae fuerunt. Quae cum magno fervore discentes, satis inter se contenderunt, ut una alteri in studio et scientia superior haberetur. Interim contigit unam infirmari. Quae comparis suae profectui invidens, satis coepit tentari, timens quod interim multa discere posset. Vocansque Priorissam, coepit illi supplicare, dicens: „Bona domina, quando venerit ad me mater mea, ego requiram ab ea sex denarios, quos vobis dabo, ut non patiamini discere sororem meam, donec convaluero. Timeo enim, ne praecellat me.“

⁵¹⁸ Ein kupferroter Pilzbefall.

⁵¹⁹ Nonnenkloster bei Groningen in den Niederlanden.

⁵²⁰ Die Äbte in Friesland, die Kinder unter 15 Jahren zur Ausbildung im Kloster aufnahmen, wurden vom Generalkapitel im Jahre 1205 mit einer Strafe belegt. Kinder, die dem Kloster übergeben worden waren, galten unwiderruflich als zum geistlichen Leben bestimmt; vgl. VAN MOOLENBROEK, *Caesarius von Heisterbach* 82; ANGENENDT, *Religiosität im Mittelalter* 381.

Ad quod verbum subrisit Priorissa, puellae fervorem satis admirans.

NOVICIUS: Dic obsecro, quae est medicina contra invidiam.

MONACHUS: Obsequia caritatis.

5

CAPITULUM 26

Exemplum contra invidiam a magistro Rudolpho prolatum.

Magister Rudolphus Scholasticus Coloniensis, quem ego bene novi et frequenter audivi, discipulos suos instans 10 exemplum contra invidos docuit, dicens: Frater aliquis quendam ex fratribus suis ita exosum habuit, ut non sine cordis sui cruciatu illum respicere posset. Quod ille sentiens, et vulnus cordis eius sanare cupiens, fratrem tam periculose tentatum, imo in ipsa tentatione omnino superatum, obsequiis caritatis ad suum amorem, quantum potuit, 15 inclinavit. Capitale eius vertit et mollificavit, vestes excussit, calciamenta circa lectum composuit, et quicquid ad illius commodum esse noverat, in quantum licuit et potuit, exhibuit. Sic ille invidus obsequiis eius devictus, et ad cor 20 reductus, conceptum invidiae venenum exspuit, et quem prius aequo oculo respicere non potuit, plus postea | ceteris 197 dilexit.

Haec de vitio invidiae pro exemplo dicta sint. Hoc vitium quia ceteris Deo, qui caritas est, plus videtur esse 25 contrarium, idcirco ab omni homine magis ceteris vitiis est vitandum.

CAPITULUM 47

214

De praelato, qui ordinem vocavit tentationem.

Recordor nunc cuiusdam viri valde literati et cuiusdam nobilis ecclesiae praelati. Huic cum nuper dicerem, „quare non venitis“, ut quid tamdiu exspectatis? respondit mihi: 5 „Non audeo intrare in tentationem“; distractionem ordinis tentationem appellans. Ex multo enim tempore voluntatem habuit veniendi ad ordinem, sed quadam pusillanimitate impeditus est usque adhuc. Huic congruit illud Salomonis: „Qui observat ventum, nunquam seminat.“ Ventus 10 est tentatio, seminatio conversio. Qui nimis timet in ordine tentari, vix poterit ad ordinem converti. Novi plures in saeculo, tam clericorum quam laicorum, qui a multo tempore votum fecerunt, nec tamen audent converti timore tentationum. Semper ante oculos habent tentationes, sed 15 non considerant multimodas quae in ordine sunt consolationes. Ecce exemplum.

CAPITULUM 48

De milite, qui ordinem vitavit timore pediculorum.

Retulit mihi Daniel Abbas Sconaviae, militem quendam 20 honestum et in militia nominatum, in Campo factum fuisse monachum. Hic cum alium quendam militem, aequè in armis strenuum, in saeculo amicum habuisset, et die quadam ad conversionem eum hortatus fuisset; respondit ille 25 magnae pusillanimitatis verbum: „Vere, amice, ego forte venirem ad ordinem, si non esset una res quam timeo.“ In-

⁵⁷¹ Vermutlich eine der bedeutenden Kanonikerkirchen in Köln.

⁵⁷² Zisterzienserkloster bei Heidelberg; vgl. *mirac.* 1,31, oben 288f; 2,14, oben 418f; 2,33, oben 490f; 6,3, unten 1144f; 7,31, unten 1388f; 9,17, unten 1780f; 9,57, unten 1872f; 10,64, unten 2016f; 12,27, unten 2246f.

terrogante monacho, quaenam esset res illa; respondit miles: „Vermiculi vestimentorum. Pannus enim laneus multos vermiculos nutrit.“ Tunc ille subridens ait: „Och fortem militem! Qui in bello diaboli non timuit gladios, in militia Christi timere debet pediculos? Auferent tibi nunc 5 pediculi regnum Dei?“ Ille licet ad haec verba tunc tacuerit, tempore tamen modico emerso, effectu respondit. Nam et ordinem tam verbis quam exemplo illius provocatus intravit.

Contigit ut postea hi duo | convenirent Coloniae in ec- 10
clesia beati Petri. Monachus vero Campensis cum alterum regulariter salutasset, subridens adiecit: „Quid est, frater? Timesne adhuc vermiculos?“ Ille bene recordans unde talis interrogatio haberet originem, et ipse subridendo re- 15
spondit verbum bonum, verbum memoria dignum: „Crede mihi, frater, et hoc pro certo scias, quia si essent omnes vermiculi omnium monachorum in meo corpore, non me de ordine morderent.“ Quo verbo audito, ille multum aedificatus est, multis illud ad aedificationem recitans.

Vides quantae fortitudinis factus sit is, qui ante conversionem nimis fuerat pusillanimis? Unde hoc, nisi ex divinis consolationibus, quae sunt in ordine? 20

Haec de his dicta sint, quos vitium pusillanimitatis ne convertantur avertit. Nunc audi aliqua exempla de his, quos post conversionem ne proficerent tentavit et impedi- 25
vit.

do de monasterio exiret, prae taedio cantare non potuit. In laudibus vero, dum canticum sancti Abacuc psalleretur, eo quod esset feria sexta, iam dictus Abbas ad excitandum fratres circumivit. Qui cum venisset ad monachum illum fluctuantem, et non cantaret, putans eum dormire, se ad illum 5 inclinavit, et versiculum, qui eadem hora psallendus erat, in aurem vigilantis fortiter clamavit, dicens: „Egredietur diabolus ante pedes eius.“ Qua voce audita, satis territus est ille, putans Abbatem per aliquam revelationem cogitationes suas perversas scire, quibus tam manifeste sententia 10 prophetica visus est respondere. Nec aliter intelligens verba Prophetiae, quam pro se facta, timuit maledictionem eius si abiret incurrere, et diabolum itineris sui ducem habere.

Sicque virtute divina a malo proposito revocatus, stabilis factus est, et miratus est Abbas ut intellexit. 15

CAPITULUM 56

De sanctimoniali, quae dum nocte vellet ire ad saeculum, et caput ostio illideret, a tentatione liberata est.

Sanctimonialis quaedam circa principium conversionis suae, 20 sicut ipsa mihi retulit, tam graviter tentata fuit, ut doleret se venisse ad religionem. Reduxit ei diabolus ante cordis oculos delicias saeculi, quas dimiserat, penuriam monasterii, quam sustinebat, et coepit ex hoc tentari graviterque contristari. Quae cum tentationes diutius sustinere non posset, nocte 25 quadam voti sui immemor, de lecto surgens, et de monasterio egredi volens, ad ostium quoddam, quod ad cimiterium du-

cit, venit, ut transsilito muro ad saeculum iret. Nutu Dei factum est, ut in superiori limine tam fortiter capite impingeret, ut concusso cerebro retrorsum caderet, et diu quasi exanimis iaceret. Tandem ad se reversa ait: „Quo vis ire, misera? Quod diabolo debuisti, hoc exsolvisti. Revertere 5 nunc in claustrum tuum, quia non est voluntas Dei ut usquam vadas.“

Vides quam misericorditer Deus suos con|servet, nunc | 223
per somnia, nunc per quaedam praesagia, nunc per flagella.
Ex his satis poteris colligere, quod quaedam noviciorum 10
tentationes, nec non et monachorum, non verbis humanis
et exemplis possint curari, sed sola divina virtute. Haec tibi
dicta sufficiant de tentationibus accidiae vel tristitia. Vis
nunc aliqua audire exempla de avaritia?

NOVICIUS: Volo et desidero, quia hoc vitio non solum 15
saeculares, sed et claustrales satis tentantur. Unde peto ut
idem vitium mihi describas, filias eius enumeres, et sic
exempla subiungas.

CAPITULUM 57

De avaritia et filiabus eius.

20

MONACHUS: Avaritia est gloriae, seu quarumlibet rerum insatiabilis et inhonesta cupido. Hoc vitium alio nomine vocatur philargiria. Videtur tamen inter haec duo aliqua esse dif-

mi, ut Dominam meam mihi ostendas. ‘ Quod si fecerit, visa ea, genua flectes et dices: ‚Ave Maria, gratia plena‘, et cetera. Et si tunc substiterit, fictio non est; sin autem, scias tibi a diabolo illudi.‘ Quae cum fecisset sicut fuerat edoc-
ta, ait diabolus: ‚Ut quid desideras videre illam? Bene tibi 5
sufficere debet praesentia mea.‘ Illa fortiter instante, opere diabolico virgo mirae pulchritudinis se oculis eius obiecit. Qua visa, mox ad pedes eius inclusa se provolvit, et contra fantasma angelicam salutationem proferendo, in turbinem illud resolvit. Quam tamen inimicus evanescens 10
in tantum terruit, ut amens facta, vix post annum dimidium, multorum precibus adiuta, sensum reciperet. Vides nunc quanti sit ponderis nomen ‚Mariae‘?

NOVICIUS: Bene video, et non sine admiratione tam ex praesenti quam ex praedictis exemplis virtutem eius con- 15
sidero.

MONACHUS: Invocatio huius nominis non solum corruptores mentium, id est daemones, sed et corruptores corporum, scilicet malos ac libidinosos homines, enervat.

CAPITULUM 27

20

Item de matrona, quae per eandem salutationem angelicam liberata est ab oppressione adulterii.

Matrona quaedam cuiusdam honesti militis uxor, instinctu diaboli militem alium admisit. Quae post tempus aliquod inspiratione divina ducta poenitentia de crimine doluit, et 25
adultero prorsus contradixit. Ille vero mariti eius absentiam observans, domum illius intravit, et cum solam reperisset,

verbis solitis ad crimen solitum eam invitavit. Quod cum illa renueret, vi renitentem opprimere nisus est. Et cum videret se illi non posse resistere, utpote femina debilis ac delicata fortissimo militi, ad totius castitatis patronam confugit dicens: „Rogo te Domina, per illud sanctum ‚Ave 5 Maria‘, quatenus in hac hora liberares me.“ Ad quod verbum virtus omnis in milite defecit et emarcuit, et femina se ab eius amplexibus excutiens, incorrupta evasit. Postea requisita | a milite de causa virium sibi subtractarum, respon- | 37 dit illi: „Non mea virtute, sed gloriosi nominis Dominae 10 nostrae hoc actum est.“ Quod cum audisset ille, territus est, nec amplius adulterii verbum ad illam facere praesumpsit.

NOVICIUS: Benedictum sit nomen Mariae.

MONACHUS: Quod etiam vincula solvantur eius virtu- 15 te, per exemplum tibi ostendam.

CAPITULUM 28

De Theoderico milite, cuius vincula meritis sanctae Mariae dirupta sunt.

Eodem tempore quo dominus Engilbertus Coloniensis 20 Archiepiscopus aedificavit castrum in Furstinberg contra nobilem virum Gerardum de Brubach, iuvenis quidam miles de eius exercitu, Theodericus nomine, facere sibi volens nomen, ante idem castrum captus est. Diu ibidem in carceratus, cum pecuniam pro sua solutione dare spon- 25 disset, extractus de carcere, positus est in domo superiore. Cui addita sunt vincula, et servi ad custodiam deputati. Habebat enim circa pedes anulos ferreos, et circa brachi-

¹¹⁹⁵ *Lectio B: etiam solvantur eius in virtute; alle anderen überliefern: Quod vincula ... virtute etiam.*

¹¹⁹⁶ Bei Bacharach.

„Placetne tibi species mea?“ Dicente milite, „nunquam pulchriorem te vidi“; illa subiunxit: „Sufficeret tibi si me posses habere uxorem, necne?“ Cui cum responderet: „Cuilibet Regi bene sufficeret species tua, et beatus iudicaretur tuo consortio“; subiecit illa: „Ego ero uxor tua. Accede ad me, et da mihi osculum.“ Et coegit eum. Dixitque: „Modo initiatae sunt nuptiae, et in tali die coram filio meo perficientur.“ Ex hoc verbo cognovit eam esse matrem Domini, cuius castitas humanae congaudet integritati. Apprehendensque strepam equi eius, ut ascenderet praecepit, cuius auctoritate miles pressus, obedivit. Ab illa hora ille tam plene a tentatione praedicta liberatus est, ut etiam uxor domini sui miraretur. Haec cum heremita recitasset per ordinem, ille Genitricis Dei pietatem simul et humilitatem admiratus, respondit: „Ego interesse volo diei nuptiarum tuarum. Interim de rebustuis disponas.“ Quod cum fecisset, et heremita venisset ad diem praefixum, dixit iuveni: „Sentis aliquid doloris?“ Respondente illo, „non“, cum secundo post horam id ipsum ab eo sciscitaretur, respondit: „Modo sentio.“ Qui post paululum agonizans, spiritum exhalavit, et coelestem thalamum promissas nuptias celebraturus intravit.

CAPITULUM 33

Item de sanctimoniali, quam per alapham sanavit, cum in amore cuiusdam clerici esset accensa.

25

Quaedam sanctimonialis virgo a quodam clerico verbis luxuriosis stimulata, in tantum flante Behemoth, cuius an-

¹²¹¹ MARIA meint mit *tali* hier einen bestimmten, von ihr festgelegten Tag (vgl. weiter unten *ad diem praefixum*), der aber nicht so genau beschrieben wird, daß auch noch ein Datum angegeben wird. Dieser Gebrauch von *talis* begegnet öfter; vgl. *mirac.* 3,3, oben 508f.

helitus etiam prunas ardere facit, succensa est, ut corde et ore petitioni eius consentiret, promittens quod dicto completorio veniret ad locum conductum. Erat enim custos ecclesiae. Dicto completorio cum conventus ascendisset dormitorium, et illa exire vellet de oratorio, in ipso ostio 5 Christum manibus | in cruce expansis stare conspexit. Cui | 42 cum egressus non pateret, ad ostium quod erat in opposito cucurrit. Ita succensa fuerat in amore clerici, ut pene rationis expers, quid circa se divinitus ageretur, minus adverteret. Quid plura? Omnes ianuas adiit, et crucifixum in 10 omnibus invenit. Tunc primum ad se reversa, et territa dixit: „Forte voluntas Dei non est, ut usquam vadas.“ Solita fuerat eadem virgo singulis diebus specialem quandam orationem dicere de passione Domini, quam Dominus in 15 tanto periculo remuneravit visione tam utili. Quae tremens ante imaginem beatae Dei Genitricis se prostravit, de peccato suo veniam postulans. A qua cum imago faciem averteret, et illa obnixius supplicatura propius accederet, imago maxillam eius manu percussit, dicens: „Quo vis ire fatua? Vade in dormitorium tuum.“ Tam fortis erat alapha, 20 ut in terram ruens sic iaceret usque ad tempus matutinale. Cumque signa in dormitorio sonarent, et illa in oratorio non pulsaret, putantes eam esse in oratione, vel pressam sopore, intrantes et in multo defectu illam reperientes, postquam refocillata loqui potuit, omnia quae circa se ge- 25 sta sunt, ad honorem Dei consororibus suis recitavit. Licet

gravis esset alapha, prorsus tamen a tentatione per illam fuit liberata. Durus morbus duram requirit medicinam.

NOVICIUS: Valde accendere debet sexum virilem in amorem Dominae nostrae, quod in milite tentationem compescuit ipsum deosculando, in femina maxillam eius 5 feriendo, cum tamen utriusque voluntas mala fuerit ac perversa.

MONACHUS: Per hoc enim ostendit, quod sexum nostrum non abhorreat, imo aequè ut femineum diligit. Magis etiam decet, ut domina ancillam peccantem castiget, 10 quam servum.

NOVICIUS: Placet quod dicis.

MONACHUS: Referam tibi aliud benignitatis eius indicium, adhuc isto gloriosius.

CAPITULUM 34

15

Item de Beatrice custode.

In monasterio quodam sanctimonialium, cuius nomen ignoro, ante non multos annos virgo quaedam degebat nomine Bea|trix. Erat enim corpore speciosa, mente devo- 143 ta, et in obsequio Dei Genitricis ferventissima. Quotiens 20 illi speciales orationes sive venias secretius offerre potuit, pro maximis deliciis reputavit. Facta vero custos, hoc egit tanto devotius, quanto liberius. Quam clericus quidam videns et concupiscens, procari coepit. Illa verba luxuriae spernente, istoque tanto importunius instante, serpens an- 25 tiquus tam vehementer pectus eius succendit, ut flammam amoris ferre non posset. Accedens vero ad altare beatae Virginis patronae oratorii, sic ait: „Domina, quanto devotius potui, servivi tibi, ecce claves tuas tibi resigno, tentationes carnis diutius sustinere non valeo.“ Positisque su- 30

¹²¹³ Zur andachtvollen Verbeugung siehe *mirac.* 1, 21, oben 268f Anm. 79.

per altare clavibus, clam secuta est clericum. Quam cum miser ille corrupisset, post dies paucos abiecit. Illa cum non haberet unde viveret, et ad claustrum redire erubesceret, facta est meretrix. In quo vitio cum publice quindecim annos transegisset, die quadam in habitu saeculari ad portam venit monasterii. „Quae cum dixisset portario, nosti Beatricem quandoque huius oratorii custodem?“ respondit: „Optime novi. Est enim domina proba ac sancta, et sine querela ab infantia usque ad hanc diem in hoc monasterio conversata.“ Illa verba hominis notans, sed non intelligens, dum abire vellet, mater misericordiae in effigie nota ei apparens ait: „Ego per quindecim annos absentiae tuae officium tuum supplevi; revertere nunc in locum tuum, et poenitentiam age, quia nullus hominum novit excessum tuum.“ In forma siquidem et habitu illius, Dei Genitrix vices egerat custodiae. Quae mox ingressa, quamdiu vixit gratias egit, per confessionem circa se gesta manifestans. Quod pusillanimes per eam confortentur, subsequens ostendit exemplum.

CAPITULUM 35

20

De milite in vigiliis deficiente, quem sancta Maria in visione confortavit.

Miles quidam iuvenis ac delicatus in Hemmenrode ante annos paucos est conversus, vocabulo Henricus. Factus monachus, cum die quadam a quodam commilitone suo requireretur, quomodo ei ordo placeret et quomodo haberet, respondit: „Optime mihi placet ordo et bene habeo, sed per tempus valde male habui.“ Interrogatus de causa, quia hominem dilexit et aedificare voluit, subiunxit: „Quando pri-

CAPITULUM 59

Quod hyrundines semper solita repetant habitacula.

Sicut mihi retulit quidam sacerdos, pater aliquis familias plurimos habens nidos hyrundinum in domo sua, et hoc ipsum de quo tu quaeris, discere desiderans, unam ex eis 5 cepit, cartulamque verba haec continentem: „O hyrundo ubi habitas in hyeme?“ pedi eius alligans, abire permisit. Sciebat enim experimento, quia semper loca, nec non et habitacula solita repeterent. Illa cum ceteris in Asiam veniens, in domo cuiusdam Petri nidificavit. In cuius pede 10 cum propter ingressus vel exitus quotidianos praedictam cartulam contempleretur, scire volens quid esset, avem cepit, cartulam legit et amovit, alteramque annectens, tali modo interrogationi respondit: „In Asia in domo Petri.“ Quod cum supradictus paterfamilias in reversione hyrun- 15 dinis suae didicisset, historiam hanc pro miraculo multis recitavit.

De cyconiis vero multa admiratione | digna tibi recitare | 258
possem, si non ad utiliora festinarem. Masculi suas feminas valde zelant, adulteria gravissime vindicant. Habent tamen 20
feminae unum remedium satis miraculosum. Si ante adventum sui comparis aquis se immergere potuerit, culpam adulterii ille minime cognoscit, sicque poenam mortis evadit.

CAPITULUM 60

25

De cyconia propter adulterium occisa.

In curia cuiusdam militis, sicut a quodam religioso viro veraciter audivi, nidus erat cyconiarum, maris scilicet et

¹⁹²² In mittelalterlichen Naturenzyklopädien ist diese Eigenschaft belegt; vgl. HÜNEMÖRDER, *Storch*.

CAPITULUM 66

De lupo qui puellam traxit in nemus, ut os de gutture socii erueret.

Juxta villam cuius nomen excidit, lupo puellam adultam invasit, dentibus brachium illius tenens. Quam cum secum 5 traheret, quotiens illa clamare coepit, clamantem durius pressit, et tacenti pepercit. Quid plura? Ducta est ab eo in silvam ad alium lupo, cuius gutturi os fuerat infixum. Qui cum nimis torqueretur, per os alterius lupi manus puellae in guttur hiantis mittitur, a qua os quod inhaeserat 10 extrahitur. Sanatus vero mox cum suo collega puellam ad villam propriam reduxit.

NOVICIUS: Ego quendam iuvenem vidi, qui in infantia a lupis fuerat raptus, et usque ad adolescentiam educatus, ita ut more luporum supra manus et pedes currere sciret, at- 15 que ululare.

MONACHUS: Haec de bestiis dicta sint. Nunc vero de vermibus aliqua subiungam, sicque distinctionem concludam.

CAPITULUM 67

20

De bufone qui persecutus est Theodericum cognomento Cancrum.

In Carpania villa Dioecesis Coloniensis cuius superius meminimus, homo quidam fuerat de quo mihi non constat utrum adhuc vivat, religiosus, sed caecus, Theodericus nomine, 25 cognomento Cancrum. Hic tempore quodam iuventutis suae dum in agro tribulos aridos levasset, bufonem sub eis magnum offendit. Qui cum se contra eum in pedes suos po-

¹⁹²⁹ Wörtlich: Würmer, vgl. *mirac.* 2, 32, oben 486f Anm. 283.

¹⁹³⁰ Vgl. *mirac.* 10, 64, oben 2016f.